



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

70. An Episcopi possint absoluere senes ex quacumque Clerici
percussione? Sed difficultas est, quinam dicendus sit senex? Ex p. 9. tr. 4.
res. 60.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

supervenientem, Panorm. in cap. fin. de sent. excomm. Unde quavis pueri impuberes, doli tamen capaces, non petant absolutionem ante pubertatem; possunt tamen absolvi post pubertatem, si postulent ab Episcopo, nec tenentur se praesentare Sedi Apostolicæ, quia illos excusat ætas à labore itineris, quamvis læsio facta tempore impubertatis sit enormis, cap. ultim. de sent. excomm. Sayrus de cens. lib. 3. cap. 28. num. 20. Barbosa in d. cap. 1. ueris, de sent. excomm. num. 2. & in cap. Si quis suadente, n. 87. ubi fit sermo de pueris dumtaxat, qui pervenerunt ad maiorem ætatem, hoc est, pubertatis, ante beneficium absolutionis; & tamen Summus Pontifex respondit, si postulent absolutionem, sive ante, sive post pubertatem posse absolvi ab Episcopo, Marius Alterius tom. 1. de cens. lib. 1. disp. 10. cap. 4. fol. 365. Vide etiam Gordonum in Sum. tom. 2. lib. 7. quest. 3. §. 5. num. 46. Fragosum de Repub. Chr. tom. 2. lib. 1. disp. 2. §. 3. num. 59. Bossum in discept. mor. discept. 1. dub. 13. num. 106. & doctum Narbonam in Annal. juris. ant. 60. q. 13. n. 2. Vide etiam Baunium in Theol. mor. tom. 2. tract. 1. q. 3. dub. 4.

RESOL. LXIX.

An Episcopi possint absolvere mulieres cujuscunque status, & conditionis percutientes Clericos ex quavis percussione?

Et an dicta absolutio danda sit simpliciter ab eodem Episcopo, & non adreincidentiam?

Idem dicendum est, & multo magis de Monialibus?

Et an status persona prius, & veritas negotii sit intimanda Romano Pontifici, antequam absolutio censura impendatur ab Episcopo mulieribus supradictis? Ex p. 9. tract. 4. Ref. 59.

Sup. hoc sup. in Ref. 65. §. 1.

Respondeo affirmativè ex cap. Quamvis, de sentent. excomm. & cap. mulieres, & cap. Ea noscitur, eod. tit. Et quia absolute dicta lura loquuntur de habentibus fragilitatem sexus, & de mulieribus, non distinguendo, an sint sui, vel alieni juris; fortes, aut debiles; viduæ, aut maritæ; divites, aut pauperes; ipsæ enim cujuscunque status sint, & conditionis, ab Episcopo loci possunt absolvi, & quia semper in ipsis periculosum est vagari & virorum cæcibus se immiscere, dicta absolutio datur simpliciter ab eodem Episcopo, & non ad reincidentiam. Et consuetudo universalis approbat hanc expositionem, quod Episcopi omnes fœminas absolunt, etiam ab enormi læsione: quæ consuetudo hanc dare potuit jurisdictionem ipsis Episcopis. Quod multo magis dicendum est de Monialibus, non solum ut mulieres sunt, propterea dixit Glossa finalis, in cap. de Monialibus, 33. eod. tit. de sent. excomm. qua ratione continentur etiam à fortiori mulieres existentes in conservatoriis, non obligatæ ad aliquam clausuram; sed etiam, quia profitentur perpetuam clausuram, ut notant DD. ibi communiter. Et ita docet Suarez de cens. disp. 22. sect. 1. num. 63. Alterius tom. 1. lib. 5. disp. 22. cap. 2. quest. 2. Sayr. lib. 1. 3. cap. 28. num. 18. Fragosus tom. 2. lib. 1. disp. 2. §. 3. n. 37. Tiraquellus in leg. 10. connub. Gloss. 1. part. 10. n. 33. & alij penes ipsos.

Sup. hoc vide infra §. ult. Ref. 73.

2. Notandum est etiam hic, quod in d. c. Mulieres, deliciosis conceditur, ut possint per Episcopum à gravi Clericorum percussione, & aliis Papæ reservatis absolvi: hi tamen reduci possunt ad habentes corporis impotentiam, ratione cujus absque notabili vitæ, vel sanitatis corporalis periculo ad Sedem Apostolicam accedere nequeunt. Deliciosi autem dicuntur nobiles, & magnæ potentie viri, & ita delicati, ut laborem eundi ad Curiam Romanam sustinere nequeant, ut decernitur, d. c. Mulieres, ubi ita habetur:

De his vero, qui sunt magna potentia, & ita delicati, quod laborem veniendi ad Sedem Apostolicam nequeant sustinere; respondemus, quod status personarum, & veritas negotii est intimanda Romano Pontifici, & secundum consilium ejus tales erunt de commissio secleris corrigendi. Ex quo textu constat, quod antequam hi ab inferiori, seu ab Episcopo absolvantur à reservatis Papæ, est informandus Summus Pontifex, explicando ei statum personæ, & veritatem negotii; & secundum ejusdem consilium erunt de commissio crimine corrigendi: quod etiam tradunt omnes Doctores communiter, & præsertim Suar. ubi supra, n. 80. Alterius ibidem. Qui propterea dicunt, illis verbis textus non concedi simpliciter, ut possint prædicti delicati absolvi ab Episcopo; sed ut non teneantur absolutionem petere à Summo Pontifice Romam eundo; sed solum consulere ad Summum Pontificem; addentes non requiri, ut ipsemet Episcopus consulat Papam; sed, quod potest ille, qui indiget absolutione criminis facere. An verò prædictæ personæ sint talis conditionis, & ita delicatæ, ut laborem eundi ad Sedem Apostolicam sustinere minimè valeant, ubi id non constat per evidentiam facti, id judicare pertinebit ad arbitrium Episcopi, seu Iudicis, juxta Glossam in d. cap. Mulieres, ver. Laborem veniendi; & Sayrum lib. 3. Theol. cap. 28. n. 22. vel cujusvis prudentis viri, juxta Suarez, & Alterium locis citatis.

RESOL. LXX.

An Episcopi possint absolvere senes ex quacunque Clerici percussione?

Sed difficultas est, quinam dicendus sit senex? Ex p. 9. tract. 4. Ref. 60.

Senes excusantur ab itinere ad urbem, & ideo sper Episcopum possunt absolvi: ex cap. Ea legem noscitur de sent. excomm. Et ratio est: quia senes dicuntur infirmi, & ipsa senectus est morbus. Sed difficultas est, quinam dicendus sit senex? Aliquientem senem sum, qui annum quinquagesimum attingit, usque ad lineam septuagesimum. Ita Ioan. Andreas & Glossa in cap. 1. de celebr. Miss. Ioan. Annanus in rub. de delictis, percellit. Corasius in l. Precibus, num. 29. Cod. de impub. & aliis hoc sensu substitit. Grammat. decis. 34. n. 4. & de Afflict. in comm. in ad Const. Neap. lib. 2. rub. 32. in fine. Et pro hac opinione faciunt, l. 2. §. ult. ff. de Dec. l. 3. Cod. & l. ultim. C. qui atate se excusant lib. 10. quibus probatur, excedentes quinquagesimum quintum annum, (ut senes, & majores,) à muneribus personalibus excusari. Alii existimant, senem dici septuagenarium, nec infra hanc ætatem aliquid Iudicis; seu boni viri arbitrio relinqui. Ita Abbas in cap. Quoniam sequentur, ut lue non contestata, n. 18. quem sequitur Stephan. Gratian. tom. 5. discept. forens. cap. 805. n. 20. Moveret Abbas: quia certum est, septuagenarium esse senem, cum passim à muneribus, à tutela, & à cura excusatur, l. unica, C. qui morbo, aut atate se excusant, lib. 5. l. 3. ff. de iure inmunditatis, & §. Item major, instit. de excusatione. Alij demum communiter id iudicio Iudicis, seu boni viri relinquendum esse aiunt, qui arbitrari debent juxta qualiter personarum. Ita Barbaria consil. 1. col. penult. lib. 2. & consil. 27. col. 3. lib. 3. & consil. 45. col. penult. lib. 4. Menochius de arbit. lib. 2. cap. 59. num. 3. Mascardus de prob. concl. 1301. num. 8. Farinacius in praxi crim. quest. 76. à num. 83. & ex nostris Sayr. de censur. lib. 3. cap. 28. n. 25. Et hæc opinio est communior, (nisi senes sint in septuagesimo anno, & ultra) nam alii aliis citius senescunt, juxta variam temperamentum qualitatem.

2. Dixi verò, nisi senes sint in septuagesimo anno, & ultra;

ultra: quia tunc mihi videtur quod iudex, vel prudens, aut bonus vir non possit arbitrari non esse senes, id quod tantum sentire puto Abbatem, ubi supra. Et quamvis superioribus ætatibus iuulti ultra septuagesimum, & etiam octuagesimum annum extiterint valde fortes, & robusti, quos latè commemorat Menochius de *presumpt.* lib. 6. *presumpt.* 46. a. n. 6. ad 21. nihilominus hodie septuagesimum annu agents, & multo magis excedentes, sunt valde debiles, & infirmi, & experiuntur labores, & dolores, multaque vitæ incommoda, ut tradit idem Menochius n. 21. Ac proinde citra omne arbitrium censendi erunt senes, & nomine infirmorum comprehensi, præsertim in casu nostro, ubi agitur de senibus inhabilibus ad suscipiendum longum iter ad urbem absque vitæ periculo. Et ideo individualiter pro casu nostro Gratianus in *discept. forens.* cap. 805. n. 18. post Innocentium, excusat senem, quamvis sit fortis, dicens eum posse ab excommunicatione contracta ob Clerici percussione absolvi ab Ordinario suo: quia periculosum est, senem proficisci. Addit etiam non esse illi injungendum ut cessante impedimento, Papæ se repræsentet; cum senectutis impedimentum nunquam cesset.

3. Sed, his non obstantibus, videtur probabilis opinio doctissimi Iuriconsulti Narbonæ, qui in *Analibus Iuris* an. 60. *quest.* 13. num. 5. ex Innocentio, & Sayro de *conf.* lib. 3. c. 28. n. 25. absolute docet, senes sexagenarios posse ab Episcopo absolvi, nec teneri Romam ad Pontificem adire ad obtinendam absolutionem pro gravi, vel enormi Clericorum percussione, cum eximius itineris labor, quo frangatur opus est, qui tam immensum iter aggreditur, merito in causa esse debeat, ut sexagenario tantumdem hoc privilegium impertiatur: nam, licet in huiusmodi ætate nonnullis robur, & optima membrorum expeditio contingat, hæc adeo lassitudini, & infirmitati existit obnoxia, ut vix sine labore, & periculo, nedom viam perficere, verum neque proficisci valeat. Verum plus addit novissime Pater Fragolus de *Repub. Christ.* tom. 2. lib. 1. *disp.* 2. §. 3. n. 64. in fin. docet enim in terminis casus nostri, quod satis est, ut senex dicatur, si habeat annum quinquagesimum completum: & citat Corralium, & Grammaticum: sed tu cogita. Itaque, ut dixi, communiter Doctores requirunt annum septuagesimum. Ita tenet *ex leg. 2. Cod. qui ætate.* Castris Palauis tom. 6. *disp.* 3. *punct.* 23. §. 4. num. 18. & Leone de *conf. collect.* 5. num. 468. & seqq.

RESOL. LXXI.

An Episcopus possit absolvere à gravi, & enormi Clericorum percussione servos, & alios sub potestate constitutos?

Idem dicendum est de viro, qui in fraudem uxoris Clericum percuteret.

Et si supradicti fiant deflexu temporis sui juris, vel liberi, an teneantur adire Sedem Apostolicam?

Et advertitur, quod quando prædicti absolventur ab Episcopo injungendam esse illis satisfactionem aliquam pro recompensatione laboris in itinere. Ex p. tract. 4. Resol. 61.

Respondeo affirmative, *ex c. Relatum, de sent. excomm.* in duobus tamen casibus. Primò, si delinquant in fraudem domini, vel patris familiars, ut eant Romam, & se subtrahant obsequio debito domino, vel patri, recurrendo ad Sedem Apostolicam pro beneficio absolutionis. Secundò, si dominus, vel pater grave damnum patiat propter absentiam: nisi percussio sit tam gravis, vel enormis, & scandalosa, ut propter exemplum tollendum necessaria sit profectio

ad Sanctam Sedem. Gama de *Sacramentis præstandis ultimo supplicio damnatis*, q. 5. n. 22. Sayr. de *conf.* lib. 3. c. 28. n. 28. ubi dicit, quando absolventur ab Episcopo, injungendam esse illis satisfactionem aliquam pro recompensatione laboris in itinere: puta, Orationem aliquam, jejunium, vel disciplinas pro aliquo tempore; Holstensis in d. c. *Relatum, de sent. excomm.* & Astensis in *Summ.* p. 2. lib. 7. tit. 23. *arg. tertio*, §. *Undecimus*. Idem dicendum est de viro, qui in fraudem uxoris Clericum percuteret; & de libero, qui in fraudem patroni sui in hunc Canonem incideret, ut Romam irent; cum non sint sui juris, & ex eorum absentia uxor, & dominus in grave damnum incurrerent. Quod si prædicti fiant deflexu temporis sui juris, vel liberi, tenebuntur adire Sedem Apostolicam. Quod non puto verum, nisi quando excessus fuerit gravis, & enormis: quia absolute, & sine conditione poterant absolvi ab Episcopo ex prædictis causis de percussione levi, vel mediocri, quando dominus, pater familiars, uxor, & patronus ex eorum absentia sine culpa sua grave damnum paterentur, ut deducitur *ex c. Mulieres ex c. Relatum de sent. excomm.* Et hæc omnia latè docet Boslius in *discept. mor. de juris discept.* 1. dub. 13. num. 119. & seq. cum Fragol. de *Repub. Christ.* tom. 2. lib. 1. *disp.* 2. §. 3. n. 67. & alius.

2. Hinc non videtur admittenda doctrina Glossæ pro filio imo puberi leg. sup. *act. 68.* in d. c. *Mulieres, verb. Sui juris*, & quorundam aliorum sententiarum prædicta procedere in filiofamilias impuberi, non autem in pubescente, quem ait debere accedere ad Summum Pontificem pro absolutione: nam constat, prædicta procedere etiam in majori, & pubere existente in patris potestate: quia, ut dictum est in hoc casu consideratur non fragilitas ætatis, & impotentia delinquentis, sed jus patrum, & præjudicium tertij, quod præjudicium tertij ita consideratur in majori, sicut in minori, imò multo magis in majori, quàm in minori; cum pater ex filio majori possit consequi majus auxilium, & subventionem, quàm ex minori; præterquam quod de impubere adest alia dispositio, ut visum est *supra*.

3. Nota etiam, quod licet per d. cap. *Relatum*, servus non sit cogendus ire ad Sedem Apostolicam, sed possit, & debeat absolvi ab Episcopo in illis duobus casibus, nempe, si in fraudem domini manus violentas in Clericum injecerit, vel si ex itinere dominus absque sua culpa notabile damnum patiat, nihilominus in eodem capite est hæc limitatio, ut sit servus, qui in fraudem percussit, etiam cum præjudicio domini, mittendus pro absolutione ad Sedem Apostolicam, quando excessus esset valde gravis, & enormis, & ad scandalum, & pravum aliorum exemplum evitandum. Dummodo, ait textus, non sit tam gravis; & enormis excessus, ut propter vitandum scandalum, & tollendum exemplum huiusmodi servi ad Servum Servorum Dei venire debeant absolvi. Quod idem propter identitatem rationis, dicendum est de filiofamilias: ad quod etiam facit caput, *Cum illorum, de sentent. excomm.* ubi de hæc eadem re agitur quoad Religiosos se invicem percutientes. In tali enim casu, propter vitandum scandalum, non esse habendam rationem temporalis damni ipsius domini, vel patris, vult Summus Pontifex in eodem textu. Vbi tamen duæ conditiones enormitatis, & scandali tollendi per profectionem ad curiam conjunguntur, simulque requiruntur, & divisim non sufficiunt, ut Romam sint mittendi: ac proinde, si delictum non sit enorme, vel scandalum moraliter non timeatur, vel non censetur adeo grave, ut non possit aliis modis tolli, noluit Summus Pontifex omnino illud sibi reservare in grave damnum alterius. Et ita docet Suar. de *conf. disput.* 22. *sect.* 1. num. 86. & alij ubi *supra*.

* Sup. in act. quæ hæc est 68.